

*) Aliam viam huius principii I. N. proximi demonstrandi ingressus est TREVERVS *ad Puffend. de Off. H. et C. L. I. cap. III. §. XI. n. 1.* qui ex felicitatis ratione pacis externi cultum deducit, ad quam homo efformatus sit a creatore. Sed, quamvis non negem, hominem ob summam Dei perfectionem appetere debere felicitatem, eam tamen consequi non potest, nisi sese conseruauerit homo, putem hanc priorem esse obligationem, quae in conseruationis studio quaerenda, ex qua et iustitia, et virtute, et pietate, et vtilitate dein ad felicitatem veram veniet.

§. XIII.

Quae ergo moralis actio ita est comparata, vt externa ea turbetur securitas, ea iniusta est, contra vero, qua actione externa pax non turbatur, ea vtique iniusta dici nequit.

*) *Negatiue* concepi legem primam Iuris Naturalis. Homo enim in agendo secundum creatoris intentionem liberum arbitrium habere debebat. Eligit ergo actiones, quas possibiles habet suo fini conformes, cum vero sic facile posset actiones eligere, quibus creatoris fines impedirentur, prohibendae erant certae actiones, ne illas eligeret homo, hinc *prohibitiva* debet esse prima lex. Inde Recte PUTTERVS in *Elem. Iur. Germ. Part. Theoret. §. 188. n. 1.* negat perfectam obligationem affirmatiuam primam, sed tantum
nega-